

ANN. XIX - FASC. VII


MENSE IULIO MCMXXXII

# ALMA ROMA



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Edito altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

## PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adjecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Julio MCMXXXII

Fasc. VII

# ALMA ROMA

LATITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

### DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

#### De verbis eleganter addendis.

I. — Latine dictiones verbales pro verbis usurpantur  
1º) quum deficit verbum, praesertim passivae vocis:<sup>2</sup>

*In suspicionem venire* (Cic., *Flacc.*, 33, 81).

*In invidia esse* (Cic., *Att.*, II, 9, 1). *Odio esse.*

*Magna est admiratio copiose sapienterque dicentis* (Cic., *Off.*, II, 14, 48).

*Huius belli particeps esse cogor* (Cic., *Att.*, IX, 10).

2º) ut expressa fiat elocutio et actio magis explicite, determinate, vivide aut numerose exprimatur;<sup>3</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Quum deficit vox passiva, possunt passiva activis permutari; v. g.: *Maxime admiramur eum, qui pecunia non movetur* (Cic.). — *Maxima nobis admirationi estis qui...* — *Habere venerationem.*

*NB.* — Verbis «vendo» et «perdo» nullae sunt formae passivae quae usurpentur, nisi «venditus, perditus, vendendus, perdendus». Modi et tempora quae deficiunt ex «veneo» et «pereo» desumuntur, v. g.: *Perdere priusquam perire optantes* (Tit. Liv.).

<sup>3</sup>a) Tunc in dictionibus verbalibus verbum non semel retinetur; v. g.: *Quae propter conscientiam scele-*

*Fit fuga regis apparitorum atque comitum* (Tit. Liv., I, 48, 4).

*Brutus non acrior index libertatis fuerat, quam deinde custos fuit* (Tit. Liv., II, 1, 8).

*Quae cognitionem habent facilem* (= facile cognoscuntur) (Cic., *De orat.*, 10, 38).

II. — Pro verbis significationis specificae, Latini interdum usurpant verba significationis genericae, praesertim verbum «facere»;<sup>1</sup> v. g.:

*ris desperatio vitae* (est)! (Cic., *Phil.* II, 35, 88). — Nulla timoris significatio, nulla mentio pacis (Cic.). (Cf. *Alma Roma*, an. 1932, *De verbis eleganter omitendis*, X, 29).

b) Quandoque verbum, non dictione verbali, sed substantivo verbali redditur; v. g.: *Oratoris est et laquentis populi incitatio* (= incitare) et effrenata *moderatio* (= moderari) (Cic., *De or.*, II, 9, 35).

<sup>1</sup>a) Latini voces significationis generalis interdum usurpant. Quod essentiali perspicuitati non nocet, neque adversus latinos scriptores vitio est vertendum. Etenim mens, si sit sat attenta, haud aegre percipit ex contextu quisnam sit genuinus sensus vocum magis generalium ab auctore intentus. Quod semel notasse sufficiat.

b) Longe usitatus usurpant verba significationis specificae pro verbis significationis genericae (Cf. *Alma Roma*, an. 1932, *De verbis eleganter omitendis*, IV).

*Facere* (= tendere) insidias (Cic., *Pro Mil.*, 9, 23).

*Facere* (= struere) pontem (Caes., *De bel. gall.*, I, 13, 1).

Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit (= foedavit) libros (Cic., *De nat. deor.*, I, 13, 34).

III. - Verba quaestionis « unde » venuste locum tenent verborum quaestionis « quo »; v. g.:

Quem de convivio in vincla *abripi* ius sit (Cic., *Verr.*, II, 4, 10, 24).

Non avaritia ab instituto cursu ad prae dam aliquam *devocavit* (Cic., *Pro Leg. Manil.*, 14, 40).

Quum in terram imperator *exisset* (Cic., *De Suppl.*, 35, 91).

Aciem in planum *deducit* (Sall.).

*Abiit* in Provinciam (Cic.).

IV. - Latine non raro exprimitur: 1<sup>o</sup>) status, ubi ipsum actum exprimeremus; v. g.:

Gallia est omnis *divisa* (= dividitur) in partes tres (Caes.).

Auxilia ex Britannia, quae contra eas regiones *posita est* (= ponitur), arcessunt (Caes.).

In aliis rebus *erat occupatus* (= occupabatur) (Cic.).

2<sup>o</sup>) actus, ubi statum exprimeremus; v. g.:

Spicum contra avium minorum morsus *munitur* (= munitum est) vallo aristatum (Cic.).

Tabulis interiores templi parietes *vestiebantur* (= vestiti erant) (Cic., *Verr.*, II, 4, 55, 122).

Non portu illud oppidum *clauditur*, sed urbe portus ipse *cingitur* et *continetur* (Cic.).

Qui portus ab Africo *tegebatur* (Caes., *De bel. civ.*, III, 26, 4).

Oppidum natura loci *muniebatur* (Caes., *De bel. gall.*, I, 38, 4).

V. - Verbis affirmativis non illepede substituant verba negativa cum negatione;<sup>1</sup> v. g.:

*Non nolle* (= velle) videtur (Cic.).

*Non enim ignoro* (= optime scio) quantius nomen putetis (Cic., *De Nat. deor.*, 3, 31).

*Non infitor* (= fateor, affirmo) (Cic.).

*Non nego* (= concedo) (Cic.).

*Neque enim defuit* qui diversam quoque partem susciperet (Tac.).

VI. - Loco verbi « esse », Latini eleganter usurpant verba specialis significationis. Quod valde confort ad elocutionem expressam, variam, imaginibus percellentem et imprimis praecisam atque exactam; v. g.; Dum excelsus *steti* (= fui), nunquam pavere destiti (Sen.).

In potestate *teneri* (= esse) (Caes., *De bel. gall.*, VII, 43, 1).

*Abditum latere* (Caes., *De bel. gall.*, II, 19, 6).

*Perculsum ac prostratum iacere* (Cic., *Ad Fam.*, IV, 4, 2).

*Infixum haerere* (Cic., *Phil.*, II, 26, 64).

Si istius haec tanta iniuria impunita discesserit (Cic., *De Sign.*, 30, 68).

<sup>1a)</sup> Est *litote*, qua minus dicere videtur quam reipsa dicimus; v. g.: Macedones Eumenem sibi aliquando anteponi indigne ferebant, neque tamen *non patiebantur* (CORN. NEP.).

b) *Litote* fit non solummodo cum verbis, sed etiam cum aliis orationis partibus; v. g.: Apud Demetrum Syrum, veterem et *non ignobitem* dicendi magistrum, exerceri solebam (CIC.). — Hannibal *non nihil* temporis tribuit litteris (CORN. NEP.). — *Non immerito* dixerim (SEN.). — *Haud infactus* (= facetissimum). — *Non illepede* (= lepidissime). — *Non indoctus* (doctus). — *Haud agre* (= facile). — *Non semel* (= saep). — *Nec non* (= et. In soluta oratione vere eleganti « nec » saep seungitur a negatione « non » ope aliquius vocabuli: *Neque vero non* (= vero). — *Neque tamen non* (= tamen). — *Non nemo, nemo non*. — *Non nulli, nullus non*. — *Non nihil, nihil non*. — *Non nunquam, nunquam non*.

c) Hoc elegantiae praeceptum est usus frequentissimi apud probatissimos auctores. Et dupli negationi videtur inesse vis maior quam simplici affirmationi.

Si minus fortissimi viri virtus civibus grata *cedidisset* (Cic., *Pro Arch.*, 9, 21).

VII. - Pro verbo « habere », non inventore ponitur « uti », imprimis ad significandum aliquid quod habenti seu utenti commodum est, aut saltem censemur. Casus verbi plerumque adiectivo aut substantivo definitur; v. g.:

Pausanias apparatus *regio utebatur* (Corn. Nep.).

Hannibal Sosilo litterarum graecarum *usus est doctore* (Corn. Nep., *Hannib.*, 13).

Patre *usus est diligente* (Corn. Nep., *Attic.*, I).

Nostris perterriti non eadem alacritate ac studio *utebantur* (Caes.).

*Usus est* Tharasybulus non minus prudenter quam fortitudine (Corn. Nep.).

*Erat* hac stultitia multis in rebus *usus* (Cic., *De Suppl.*, 39, 103).

VIII. - Loco « supponamus » usurpant « fac », « faciamus » vel « pone », etc.; v. g.:

*Fac*, ut isti volunt, animos non remanere post mortem (Cic., *Tusc.*, 1, 34).

*Esse deos faciamus* (Cic.).

*Pone* eum esse victimum (Ter.).

IX. - In sic dictis incisorationis directae quam vocant, non usurpant « dixit », « respondit », sed fere defectum « *inquit* »; v. g.:

<sup>1</sup> In oratione directa rarissime usurpant « *ait* » pro « *inquit* », « *Ait* » fere non usurpatur nisi in oratione obliqua seu indirecta idque raro ad referenda verba alterius; v. g.: Aristoteles *ait* hominem ad intelligentem et ad agendum esse natum (Cic.). — Sordidum me et in cultis moribus *aiunt*, quia parum scite convivium exorno (SALL.).

*NB.* — a) In oratione indirecta fere usurpat « *dico* » et alia verba asserendi.

b) « *AIunt, ut aiunt, quomodo aiunt* » usurpantur quum proverbium aliquod refertur; v. g.: Ut quimus, *aiunt*, quando ut volumus non licet (TER., *Andr.*, IV, 5, 10).

c) Semper licet interserere « *ut ait* » in oratione

Ubi sunt, Pamphile, *inquietunt*, scyphi? (Cic., *Verr.*, II, 4, 14).

Tu vero, *inquisti*, molestus non eris (Cic., *Or.*, 2, 64).

Tum ille: « Nego, *inquit*, verum esse ». Potestne, *inquit* Epicurus, quicquam esse melius?

X. - Participium non raro reddimus:

1<sup>o</sup>) propositione quae adiunctum, seu circumstantiam denotat; v. g.:

Quod *quum facies* (= faciens), communis commode inservieris (Cic.).

Quaedam terrae partes, quod *aut frigore* (= rigentes frigore) aut *uruntur* (= ustae) *calore*, sunt inulta (Cic.).

Gemmae, *ut abiificantur* (= abiectae) in lutum, proprietatem non amittunt (Cic.).

*Si videris* (= videns) hominem felicem inter adversa, nonne admiraberis eum? (Cic.).

2<sup>o</sup>) propositione relativa; v. g.:

Darius ad eum locum *quem Amanicas pylas vocant* (= vocatum) pervenit (Q. Curt., 3, 8).

Est in carcere locus, *quod Tullianum appellatur* (Sall.).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in Helvetia.

directa; v. g.: Animus aeger, *ut ait* Ennius, semper errat (Cic., *Tusc.*, III, 3, 5). — Tota philosophorum vita, *ut ait* idem Socrates, commentatio mortis est (Cic., *Tusc.*, I, 30, 74).

d) « *Aio* » saepe ponitur pro « *affirmare* » et opponitur « *nego* »; v. g.: Diogenes *ait*, Antipater *negat* (Cic., *Off.*, III, 23). — Quasi ego id curem quid ille *ait* aut *neget* (Cic., *Fin.*, 2, 22).

<sup>1a)</sup> Interdum usurpatur propositio relativa, quia deficit ac deest participium; v. g.: Amicitia *quae desit* nunquam vera fuit (Cic.).

b) Pro participio Latini quandoque praepositionem usurpat; v. g.: Statua *cum* gladio (= *tenens* gladium).

c) Latine quandoque usurpatur adverbium quod hodiernis linguis verbo redditur; v. g.: Gallus *assidue cantat* (= non *desistit* a cantando). — *Falso queritur* (= *errat* querens) de natura sua genus humanum (SALL.).

**DE P. VERGILII MARONIS REDITU  
SAECULO AB EIUS ORTU XX EXEUNTE**

Dum marina, quae dici potest, humani generis aetas, quae a Iasonio Aesonide, nautarum primo, ad Limbergium tribunum, primum Oceani per aëris semitas superatorem, attinet, suum videtur attingere terminum; dumque hominum nova commercia, quaeque inde sequi oportet communio et unitas vitae, per aëris radiique vias citissimo cursu urgentur undique in unum; in finibus ipsis longissimi huius humani aevi, quod fere totum e mediterraneo mari Romana ditio, gentiumve Romana humanitate editarum dominata fuit, aequum erat redire Vergiliū. Qui videlicet Poëta omnium nostrum facile princeps, ut iuxta Imperii nostri origines, quod ipsius aetate Christus mox nascitur sibi condebat, ita et iuxta fines, quos, equidem, aetate hac nostra iam Ipse idem sibi nuper recuperavit, — fractis nempe lateque dispersis hinc inde aemulis tribus Sui maximis, qui videlicet Lutheranas, quas rexerant, Photianas, Mahomethanasve terras ex sancta eius unaque ditione ultimi usurpaverant —, unus semper idemque Romanus vates adisset, qui non tantum Romani nominis, quam potius Christiani Regni fauste feliciter fata recineret.

Namque vix, post triplicem illam cladem victoriamque supremam, sanctissima icta foedera ad Urbis sedes Lateranas novae veluti aetatis nostrae visa sunt auspicia proferre, vicesimum expleri saeculum accedit post Vergiliū natum, quo tempore et Italis omnibus et cuicunque terrarum civi sacrum fieret memoriam tanti natalis concelebrare.

Quod autem iure maximo et inter Paullipi colles, ubi Vatis cineres post xx saecula quievere, itemque et ad Mincii flu-

minis ripas, Mantua in Urbe eius natali, agere iuvit. Ac tandem bene accedit, ut Asulanus etiam poëta, recens quidem, Anacletus Trazzi, quadripertito carmine laudes Maronis latine retexeret, eiusque ex umbris reditum, sese somniantem adloquentis, multa docentis, non pauca arguentis, plura commonentis effingeret. Libellum accepimus nitido prelo excusum, Mantuani monumenti nuperrime Vergilio dicati augurales narrantem ferias; mox Vergiliī verba fingentem de hodiernae vitae novis undique commodis, deque moribus tamen haud itidem emendatis; commonentem tertio ut ab urbana vita nimis iam densa et frequente, culpisque obnoxia multis, ad rusticæ vitae salubritatem cives redire consentiant; quarto disserentem de recentiorum liberalium artium modis, laudibus, vitiis.<sup>1</sup>

Haec omnia bene recteque; ad quae non minor debetur auctori laus ob versuum exquisitam satis calliditatem, quam fuit gratum agnoscere, quaeque Romanis nobis laete probavit veteris huius sermonis studium, cuius maxime causa omne nostrum nomen superstes durat, non undique neque totum adhuc cecidisse.

Ecquid tamen? Eratne operae pretium tantum ab umbris revocare Poëtam, nostrorumque fatorum eundemque Vatem in hanc vitae lucem reducere, ad hoc tantum ut, post aliquem, nec sane immeritum, ex hodiernis inventis omnibus conceptum stuporem, non aliud proferret, quam aut querulas hinc de nostris culpis monitiones, aut inde veteres rusticæ vitae laudes, quas Maro ipse Augusti aetate non superabili carmine scripserit? Profecto, tanti ortus memoria, viginti post saecula

<sup>1</sup>D. D. A. TRAZZI, *Vergilius Redux, seu de vita recentiore*, Saec. xx a P. Verg. Maronis ortu exeunte, Asulii, typ. Scalini et Carrara,

rediens, paulo maiora, immo longe maxima poterat suadere poëtis.

Quid enim tanto viro tantoque numine diviti non edixisset mira illa coniunctio, quae per velivolas machinasque radiales ad hominum componendam firmandam communionem et unitatem undique gentium exoriri iam cernitur? Nonne saeclorum ordinem novum, quem sua aetate divinitus nasci sensit, Vates sacer undique redire sensisset? Nonne in suam plenitudinem agnovisset properare celerrime? Quodque sua aetate Maro nescivit, id patens hodie perspexisset arcanum; idest Romanum imperium, armis, legibus partum, nec nobis Italis neque aliis romana humanitate ortis populis coepisse constitui, sed uni Christo saeclorum Regi comparavisse tandem perennem Sedem. Iamque nunc, per nova illa omnia adinventa a Trazzio poëta bene commemorata, — igneos, currus, machinas, velivola, radiantes sonitum, cantum, formas, dramata, capsulas, — unitatem omnium gentium urgeri, perfici comperisset undique, quam, vel, dum ipse olim auspicaretur, Israelis psaltes Christo statutum regnum spondebant *ante constitutionem mundi*.

Quamquam et Trazzius hic hodiernus poëta aliquando vidisse est visus, quum ipse quoque, multas inter querelas, Vergiliī ipsius verbis auspicetur tamen proxima mundo munera pacis (pag. 38):

*Hinc nova Romuleis oritur iam moenibus aetas  
Iam novus Italiae saeclorum nascitur ordo.*

Anne Italiae tantum? Profertur enim paulo inferius vaticinium:

*Non igitur vacua non fallaci abripior spe;  
Adspice venturo renovantur ut omnia saeclo.*

Sequitur immo Vergiliī ipsius bene selectis verbis exoptatae pacis non vana semper munera canere; immo quae proxima arridere terris appāreant (pag. 39):

*Sic et  
Molli paullatim flavescat campus arista  
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,*

*Et durae quercus sudabunt roscida mella.  
Occidet et serpens et fallax herba veneni  
Mitia nec magnum metuent armenta leonem.<sup>2</sup>*

Quae aut dicta perperam aut vix fatidico aestui concedenda nemo dixerit, vani nisi idem habuerit humanae huius vitae augendae perficiendaeque desideria, vota, nisusque.

Sed nos haec omnia nunquam vacua somnia dicemus, dum nostris mentibus alte insonant Pauli vaticinia, Divino edita afflatu *plenitudinem gentium* spondentia certo futuram; simul, quod erat Romanis illius aetatis densissimum sane mysterium, Israelitiae coecitatis felicem, faustum finem: <sup>2</sup> « Nolo enim vos — haec Paulus — ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia coecitas ex parte contigit in Israel, *donec plenitudo gentium intraret*. — Et sic omnis Israel salvus fieret sicut scriptum est: <sup>3</sup> « Veniet ex Sion qui eripiat et averiat impietatem a Iacob. Et hoc illis a me testamentum cum abstulero peccato eorum. »

Atqui non tantum quae velivolis patent quaquaversus viae, sed illæ maxime, quae per radiales undas quocumque meant, hanc ipsam plenitudinem iam iam impletum iri promittunt. Cuius caussa, qui Caesarum tenet adhuc unus Romæ locum, Romanorum nempe Pontifex maximus, illud Pentecostis prodigium, quod primo Ecclesiae sub ortu Hyerosolimitani templi in limine contigit, toties renovare exauditur, quoties Paterna ditione sua gentes universas per eas ipsis undas alloqui libeat, vel, puta, Eucharistico coetui praesenti sermone adesse, qui vel ultima in Hybernia habeatur.

Audio equidem Isaiae vaticinia Paulique epistolæ Vergilio nostro inaudita fuisse,

<sup>1</sup>Buc., IV, 28-30 — Buc.: IV, 24. - Buc., IV, 22.  
<sup>2</sup>Rom., XI, 25-26-27.

<sup>3</sup>ISAIA, 59, 20.

qui vixerit quidem « a Roma sotto il buon Augusto », sed « al tempo degli Dei falsi e bugiardi »; teneo tamen hodierno eius vatis ea esse comperta bene oportere.

Qui potuit itaque bucolicis illis suavissimis Maronis versibus Isaiam conferre canentem :<sup>1</sup>

« Habitabit lupus cum agno et pardus cum haedo accubabit; vitulus et leo et avis simul morabuntur et puer parvulus minabit eos;

« Vitulus et ursus pascentur simul; requiescent catuli eorum et leo quasi bos comedet paleas;

« Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet:

« Non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini sicut aquae maris operientes.

« In die illa radix Jesse, qui stat in signum popolorum, ipsum gentes deprecabuntur et erit sepulcrum eius gloriosum ».

Et sane hoc ipso mane editae ephemrides Romani Pontificis verba vulgarunt piorum agmina ex omni gente invitantis, quae Sion montem Urbemque Ierusalem proximo Septembri mense una condescendant. Huc namque evasit hesternae triplicis victoriae, quam diximus, fructus facile maximus, ut Mahumeti pseudoprophetae ultimus ingloriusque haeres extingueretur, utque tandem paterent undique omnibus populis ad Christi sepulcrum liberae viae. Quas igitur inhiabunt terra marique caeloque fideles, vaticinii, quod legimus, implementa veluti praecoccupantes certatim.

Aequum erat igitur et optimum, dum haec inopino fato properant, ex umbris ad nos ultra redire Vergilium. Qui tamen nobis non tantum « difficilis, querulus lau-

dator temporis acti », quam potius tempori, quod ipse veluti praecinuerit, spectator adesset iure potissimus, suaque effata, Romano semper auspicio, vix iam adimpleri videret, nempe ceu Ioannes Pascoli, quem, non sine novi poetae venia, ut maximum forte Vergili alumnum huc evocare licebit, ipsum Maronem loquentem induxit sub carminis fine, quod a Coena in Claudiano Nervae inscripsit:<sup>1</sup>

*Itaque dies aderit, (fuit id quodcumque) Sybillae,  
cum tandem miseras inter gens ferrea caedes  
desinet, ut solem, cum se post ignea condit  
nubila, consequitur nox astris apta serenis.*

Nox equidem, de qua scriptum est,  
« Nox sicut dies illuminabitur et nox illuminatio mea in deliciis meis ».

Atqui praeter multa illa, quae bene recteque per Trazzi calatum recinuisse est visus, haec alia tamen, nec sane minora, ad nos per nova tempora reducem anxius optavi pium cecinisse Vergilium.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

## DE HODIERNIS VITAE COMMODIS<sup>2</sup>

*Non ego diffitear quantum haec profecerit aetas  
Omnibus in rebus, vitae quae commoda praestent.  
Immo etiam, vestrum ingeniosa inventa recensens,  
(Quae facile quisquis monstra ac miracula credit)  
Non solum miror, potius sed mente stupesco.  
Temporis aut spatii mora non est amplius ulla,  
Nam maria et terrae, quin est superatus et aëris.  
Eia, quid ignoti vobis complectitur orbis?  
Una potestatis vestrae vestrum ipsa voluntas  
Mensura ac ratio; velut Iapeti genus audax*

<sup>1</sup> I. PASCOLI, *Carmina*, Bon., Zanichelli MCMXXX, vol I, pag. 49.

<sup>2</sup> Ex carmine D. D. A. Trazzi, cui titulus: *Vergilius redux*. — Quod cl. auctor ultro concederit ut has paginas in commentarium nostrum referremus, maximas ei habemus gratias. — Hic Vergilius loquens effingitur.

<sup>1</sup> XI, 6, 7, 8, 9, 10.

*Iam caelum petitis, nec spes quit fallere, victas  
Quippe manus dedit humanis Natura subacta  
Ac vestri sequitur currum religata triumphi.*

*En, quo cumque oculos verti (mirabile visu!)  
Binis ex ferro virgis sternuntur ubique  
Perpetuisque viae, queis prolixo ordine nesi,  
Currus cum sibilo, celeres strepitumque cientes,  
Mereibus omnigenis molisque ingentis onusti,  
Quos nec mille boves traherent, velocius auris  
Per cava, per montes, vel prorsum abstrusaper antra  
Vestra effossa manu, modo vi atque vapore feruntur.*

*Iam quid equus valeat? In saecli vertigine tanta  
Non satis est pedibus celerare, volare necesse est.  
Ecce ideo non visa prius, carpenta frequenter  
Aëre ducta ruunt iaculis leviora calente,  
Certa cui magnes lege elicitum admovet ignem.*

*En quoque, remigio prorsus sine, vel sine velis,  
Igni et aqua tantum rapidae tranare per undas  
Cernuntur naves volitantum more draconum;  
Adspice quas moles! Innantes dixeris urbes,  
Ex ferro quibus et turre et moenia! Quasdam  
Vero, (ni videat nemo unquam credere possit)  
Immanes potius mergos fulicasque rearis;  
Tam facile merguntur aquis iterumque resurgunt.  
Quae levis hic visu summis perlabilis undis  
Si quas infensa navis conspexit in alto,  
Protinus abripitur, pelagique in sedibus imis  
(Cum tamen, arte nova, per vitrea prismata, rerum  
Reflexis formis, ibi nauta palam omnia cernat  
Quae supra) monstrum, procurrens, missile laxat  
(Nomine sed piscis vestri dixere silurum)  
Interiore quod igne crepans, subvertit et hostis  
Incautam classem, breviter redditura sub auras,  
Queis agilis volat, en, pelago sublinis et inter  
Horrendae cladis fragmenta et corpora pergit...*

*Haec equidem maris est; en hic sed et aëris ales:  
Nam volucres illae immanes immanibus alis,  
Quas faber humanus divina condidit arte,  
Et nubes superant, praeverunt fulgura cursu  
Oceanosque valent uno transmittere ductu.  
O utinam, semel expertus, modo dicere possem  
Nubivagae rector volucris quos pectore motus  
Quos animo sensus verset dum regna pererrat  
Ardua, ventorumque plaga, dum forte tonantes  
Nititur intrepidis animis superare procellas,  
Difficiles aquilis ausus contendere palmas!  
Huic Phaeton cedat, cedat quoque Daedalus ipse;  
Mira poëtarum minor est, hic, fabula facto.*

*Quomodo sed vestras laudes vestrosque triumphos  
(Cum tamen, ut constat, fando mea lingua sit apta)*

*Comparibus verbis memoratu persequar omnes?  
Non, Mihi si linguae centum sint oraque centum<sup>1</sup>  
Tot valeam (invideo dicens) ac tanta referre,  
Aut, dubio procul, ante sua nox occupet umbra.*

*Viribus occultis (gremio quas arctius abdit  
Natura antiquo) vel et illa praecipue quae  
Vulgo, temporibus vestris, electricon audit  
Pervigili studio longoque labore potiti,  
Verba sonosque, quibus nihil est subtilius auris,  
Captivos agere, arcana prope compede vincitos,  
Et, quo fert animus, faciles transferre potestis  
Reddendo iterum nil, vel post saecula, laesos.*

*Quin etiam mentem transferre potestis et ipsam  
Atque ipsos animi sensus, non, sicut apud nos,  
Scripto, ac aeterno prope temporis intervallo,  
Per missos homines. En, contra, hic aerea fila  
Tenta vias iuxta sudibusque haerentia summis,  
Trans mare, trans montes, oculi nictantis in ictu,  
Mentem proripiunt extrebas orbis ad oras.*

*Nec mentem solum, sed et ipsa ipsissima verba  
Cum sonitu simili, simili modulamine vocis  
Ut videare loqui prope cum praesentibus absens.*

*An taceam vero (monstrum super omnia mirum!)  
Quod, filis etiam demptis, vocesque sonosque  
A vobis temere emissos, per inania caeli  
Arcana ratione invadunt aetheris undae  
(Quas parit omniciens nutritque electricus ignis)  
Suscepitosque regunt volvuntque ubi meta statuta est  
Quam tangant certo, sit meta vel ultima Thale?  
Quid? voces sonitusque? nihil prope dixeris ista;  
Nam formas ipsas hominum rerumque figurae  
Luce hinc abstractas, millena ad millia puras,  
Et dicto citius, in chartis luce regnunt.*

*Novi equidem; dudum, crystallis orbiculatis  
Gnaviter instructi convexis summa cavisse  
Omnia quaeque oculis puris impervia (vel quod  
Parva nimis, vel plus nimio fortasse remota  
Ut vaga per caelos palantia sidera nocte)  
Lumina dum feriant, penitus perspecta tenetis.  
Altera enim mire crystallis amplificata,  
Altera mirifice spectanti admota, patenter,  
Non secus ac coram, sese mox tota reclaudant.*

*At quanto, his annis, vobis felicius illud  
Contigit ut rerum clausa atque occulta, quibusdam  
Arcanis radiis possent manifesta patere,  
Quod neque centoculo nimirum contigit Argo!  
Atque etiam multo felicius, hisce diebus,  
Cum quae sint acie atque oculis omnino remota,*

<sup>1</sup> VERG., *Aeneid.*, VI, 625.

Comoda spectandi vobis est facta potestas!  
An subito flagras dilectum visere amicum?  
Scire cupis quid agat? valeatque an procubet aeger?  
At pluit; ecquid? Iter pluvia coepisse molestum  
Non opus est tibi; quin nec opus discedere tecto  
Nam subito optanti praesto sunt aetheris undae  
Subsidio quarum praesens tibi fiet amicus.

Anne peregrinas potius cognoscere terras,  
Praecipuasque iuvat cuiusque tuerier urbes?  
Eia age, nec pelago nec equis te credere oportet;  
Immo domi degens, recubans vel forte cubili,  
Ut, quae Londini, momento temporis illo,  
Eveniunt poteris, quasi praesens, rebus adesse,  
Sic et Athenarum pariter monumenta videre.

Et quis, praeterea, patriam patiosque penates  
Deserat, atque viae subeat discrimina longae,  
Ipse suis oculis alias ut noverit oras,  
Immotis pedibus cunctas cum visere possit?

Haec igitur reputans nemo, vel prorsus agrestis,  
Vel libros super incanus non iure stupebit.  
Ast unum, si vera loquar, Mihi creditur illud  
Mirifice mirum et cunctis memorabile saeclis,  
Unde, suo ceu fonte, fluunt haec singula. Namque  
Cum vim quam motus generat vivamque vocatis  
Captivam fieri, inque alias, aut posse vicissim  
Converti, aut alio transmitti, vix didicistis,  
Quid fuit ingenio iam non superabile vestro?  
Quidve paraturi seris aetatibus estis?

En gravis unda cadens orbem circumrotat inter  
Magnetis capita incurvi; mox aerea fila  
(Qui fieri potuit? rerum haec arcana quis unquam  
Mentibus humanis omnino abstruse recludat?)  
Ferreus in quorum spiris involvitur orbis,  
Auribus ignaris oculisque electricus intrat  
Rivulus ac, velut unda tubis, agilis fluit, immo  
Mente magis rapidus quo fert humana voluntas.

Vel maiora loquar; fors aegri somnia dicas.  
Nam quodcumque yoles, motusve, iubarve, calorve  
Ut libet, aut ad opus confert, ita mox tibi fiet.  
Hic ut ares, ut ligna seces, ut marmora tollas,  
Machina crebra rotis an forte cienda? cetur.  
Saevit hiems? an cuncta rigent? an frigore torpent?  
Rivali at arcani virtus variata suavi  
Exedrum fovet et recreat tua membra tepore.  
Solne cadit? sensim densantur nocte tenebrae?  
En tenebrae fugiunt et sol velut editur alter,  
Nam prompta et facilis mox ad tua iussa ministra,  
Malleolo tantum verso, en electrica vis est,  
Qua famulante statim lumen tota urbe coruscat.  
Sed nec in urbe modo; quid enim? Marconius iste

Qui tam mira potest, occultas subdere vires  
Cui datur omnino, nunc, nonne per aetheris undas  
Antipodis ipsis hinc lumen detulit? Ergo  
Inpetide soli vetitam rapiente favillam  
Si merito obstipuit, quamvis mentita, vetustas,  
Ah! quis non hymnos aetati concinat isti  
Quae, Genio acta suo, potis est et talia ferre?...

## COLLOQUIA LATINA

X.

### Domus.<sup>1</sup>

IACOBUS, LEO, VITRUVIUS.

IACOBUS. - Est tibi notitia cum insulario ampliae atque elegantis huius domus?

LEO. - In primis, et est scribae patris mei admodum propinquus.

IAC. - Rogemus eum, ut nobis eam omnem patefaciat; nam ferunt, nil fieri posse amoenius, nec delectabilius.

LEO. - Adeamus; pulsemus fores tintinnabulo, ne irrumpamus inexspectati. — At, at.

VITRUVIUS. - Quis istic?

LEO. - Ego sum.

VITR. - O salve multum, puer dulcisime: unde tu nunc?

LEO. - E ludo.

VITR. - Qui igitur gratia huc?

LEO. - Sodalis hic meus et ego vehementer cupimus hasce aedes invisere.

VITR. - Numquam spectasti?

LEO. - Non totas.

VITR. - Ingredimini. Heus, Flore, affer mihi claves ostiorum domus. — Primum hoc est vestibulum: patet semper interdui absque ianitore, quod nec intra domum est, nec tamen extra: noctu clauditur. Con-

<sup>1</sup> Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit. I. F.

templamini portam magnificentam, valvas e robore, munitas aere, utrumque limen, et infimum et supremum, ex marmore alabastrite. — Sequitur ostium atrii, quod atriensis servus custodit, praecipuus in familia, ut mediastinus extremus. Tum atrium spiosum ad deambulandum, multaque ac variae in eo picturae.

IAC. - Quaenam, quaeso?

VITR. - Illa est caeli facies ichnographica; illa terrae orthographica.

LEO. - Quid sibi vult tabella illa tam varie delineata?

VITR. - Ea est graphis nostrae huius urbis. — Ascendamus has scalas cochliedes: singuli gradus lati, ut cernitis; singuli sunt ex saxis marmoreis basaltis. Haec prima contignatio, habitatio est domini: coenaculum superius hospitale est, non quod herus meus faciat coenaculum; sed paratum et hospitibus amicis, ornatum, semper instructum et vacuum, nisi quum adsint hospites. — Hoc est triclinium.

IAC. - Quae fenestrae speculares, quam scite depictae? Qui colores, quam vividi! Quae tabulæ! Quae signa! Quae coassatio! Quaenam est historia vitrearum?

VITR. - Fabula Griseldis, quam apte et ingeniose confinxit Ioannes Boccaccius Florentinus; sed herus meus decrevit addere rei fictae rem veram de Godelina Flandrensi et Catharina, Anglorum regina, quae superat figuramentum Griseldis. Signa sunt: primum illud Pauli Apostoli: alterum Mutii Scaevolae, tertia est Helenae.

IAC. - Etiamsi Mutius, aedopol, non videtur Mutus; immo mutire. Quidnam mutiat?

VITR. - Non incendet, credo, me hic ignis; quoniam aliud ardet me intus.

IAC. - Placet ista tua interpretatio. Helenae vero est titulus inscriptus.

VITR. - Ita: « Utinam fuissem semper talis; minus nocuisse ».

IAC. - Argute quidem. Sed quid signat caecus ille seniculus recalvaster, indice ad Helenam verso?

VITR. - Homerus est. Dicit Helenae: « Quae male tu fecisti, ego bene cantavi ».

IAC. - Oh! lacunar est deauratum, admixtis margaritis.

VITR. - Margaritae sunt, sed preti exigu.

IAC. Quo spectant fenestrae?

VITR. - Hae in hortos; illae in impluvium. Haec est diaeta, seu aestiva coenatio. En vobis cubiculum et conclave. Cubiculum ornatum est tapetibus, pavimentum contabulato, storeis tecto. En imagines Beatae Virginis et Christi servatoris.

IAC. - Quid scriptum est in limine superiore ostii?

VITR. - « Recipe te in portum tranquillatis affectuum ».

IAC. - Quid in interiore poste forium?

VITR. - Ne induxeris in portum tempestatum ». — In conclavi illo clauso asservant fere prima utensilia. Hoc alterum membrum est hibernum: vides omnia obscuriora et magis tecta; tum hypocustum.

IAC. - Amplius, mea sententia, quam necesse fiat.

VITR. - Non animadvertis etiam cubiculum interius eodem vaporario excalefieri?

IAC. - Quae est illa camera tam eleganter fornicate?

VITR. - Sacrarium, seu sacellum ubi agitur res divina.

IAC. - Turriculae illae et pyramides et pilae et indices ventorum, omnia qua venustate, quam admirabili arte!

VITR. - Descendamus. — Haec est culina; hoc promptuarium; haec cella vinaria; illa penuaria, in qua mire infestamur rapacitate furum.

IAC. - Qua tandem est hoc furibus ingressus? Omnia video probe clausa et fenestrarum cum clathris ferreis.

VITR. - Per rimulas et foramina.

LEO. - Mures ergo sunt et mustelae, quae vobis universam penum diripiunt.

VITR. - Illud est porticum domus, clausum semper duabus seris, affixa et pensili, nisi quum adest dominus.

LEO. - Cur fenestrae hae non habent cancellos?

VITR. - Quoniam raro aperiuntur; specant enim ad augustum angiportum, ut cernis, et obscurum. Raro quisquam hic assidet, aut profert caput; ideo et clathrare eas statuit herus meus.

LEO. - Quibus clathris?

VITR. - Fortasse ligneis; nondum est certum. Interea repagulum hoc sufficit.

IAC. - Quam ampliae columnae et porticus plena maiestatis! Vide ut Athlantes illi et Caryatides speciem proferunt entitatem, ut fulciant aedificium, ne ruat, quum nihil agant.

LEO. - Tales sunt multi, qui magna videntur praestare, quum otiosi et segnes vivant, fruentes alienis laboribus. Sed quaenam est domus illa inferior huic adjuncta, tam male materia et ruinosa?

VITR. - Est vetus aedificium, quod, quia ducebat rimas, et vitium faciebat ingens, herus meus decrevit hanc alteram a fundamentis erigere. Illa nunc nidulatio est avium, et habitatio murium; sed brevem demoliemur.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

### NOTITIAE.

#### DE PARALLAXI MINORUM STELLARUM.

Notum est, ex comparatione laminarum photographicarum, quae idem caeli punctum, aliquot annis interiectis, referunt, deduci nonnunquam licere motum proprium unius vel alterius stellae.

Nuper A. van Maanen in commentario *Mount Wilson Contributions* retulit mensuras parallaxum minorum quarundam stellarum, quae valde proximae apparent.

Maxima inter parallaxes deductas est 0,209; sed haec iam antea innotuerat.

Sed adest stella, cuius magnitudinis ordo est 13,4 et cui pertinet parallaxis 0,110.

Aliae quindecim stellae sunt decimi ordinis magnitudinis. Innotuit etiam debilis quaedam stella ordinis 14,0 cuius parallaxis ab Hubble data est 1''. Coniicere licet huiusmodi stellae debiliores, quae *nanae* appellantur, frequentes omnino in caelo adesse, sed invisibles propter earum debilitatem.

#### DE ARTIFICIOSA DESINTEGRATIONE NUCLEI ATOMICI.

Lord Rutherford in sessione quam *Royal Society* habuit die 28 sup. mensis aprilis, retulit successus experimentorum, quae Cockcroft et Walton in *Cavendish Laboratorio* instruxerunt circa actionem a protonibus exercitam in quaedam elementa.

Protone, in ampulla peculiariter constructa, sub contentione quarundam milium voltarum, adigebantur contra parietem lithio coopertam, et per scintillationem super bracteam zinci sulphure delinitam detegebatur electio corpusculorum ex ipso lithio, quorum movendi vis maior erat quam protones assumere potuissent.

Ex proprietatibus horum corpusculorum auctores deduxerunt ex lithio ejecta fuisse corpuscula *alfa*, et proinde processus in hoc esse: athomum lithii, quae septem continent protones, novum, ipsam percutientem, protonem absorbuisse, et ex compacto duplice particulam *alfa* prodivisse.

Simile quid invenerunt in actione protonum super berillium, borum, carbonium, nitrogenium, fluorum et alluminium.

#### DE NOVIS ELEMENTIS, QUORUM NUMERI ATOMICI OCTOGINTA SEPIEM ET OCTOGINTA QUINQUE.

Diarium Consociationis chimicae americanae refert experimenta ab Allison, Bishop, Sommer, et Christensen ducta super quasdam metallorum solutiones per methodum magnetoopticam.

In solutionibus pollucitis et lepidolitis invenerunt quaedam minima, quae neque pertinent ad stannum neque ad rhenium, et quae proinde assumpserunt tamquam pertinentia ad elementum, cuius numerus atomicus sit octoginta septem.

In quadam vero solutione ex monazite brasiliiana invenerunt parvas quantitates elementi numeri octoginta quinque, cuius compositum cum lithio separare potuerunt.

Huius elementi nomen propositum est *Alabama* et symbolum *Am*; pondus atomicus existimatur ad 221. Solutiones videntur continere sales ex acido  $H_2AmO_4$  et  $HAm$ .

#### TURBINA AB HYDRARGIRII VAPORE ACTAE.

Stante primo et felici successu apud Hartford obtento in turbina per hydrargirii vaporem acta, cuius potentia ad decem millia chilowatt attingebat, *General Electric Company*, anno elapsu, duos similes complexus nuper instauravit duplicata potentia, quorum unus apud Newark pro communibus usibus electricitatis et gasii, alter pro ipsius usu Societatis apud Schenectady.

Unusquisque complexus, viginti milium chilowatt, agitur ad nongentas revolutiones per momentum temporis.

Hydrargirii vapor, in cavo condensationis, calorem reddit, qui centum et decem cubicorum metrorum aquae in vaporem transferre potest, et sic habetur unde supplementaris quaedam turbina, sex milium chilowatt in actionem ducat.

Ut appareat, redditus globalis thermodynamicus totius complexus fortiter augetur, dum e contra caloris expensae, pro uno quoque *chilowat*, ad duo millia et ducetas viginti *calorias* reducuntur.

### NOTITIUNCULAE.

In experimentis, quibus particulae electricae in orbem ducuntur per actionem campi magnetici, Cokcroft doctor et alii Physici anglici nuper usi sunt novo quodam magnetem permanente, quem feliciter induxerunt loco electromagnetis. Pondus huius magnetis permanentis est circiter unius amphorae (*tonnae*); superficies polares quingentorum centimetrorum sunt per quadrum; campi magnitudo ad duo millia et trecentas unitates computari potest; quod certe sat est in huiusmodi applicationibus.

Lampades incandescentes gigantes nuper constructae sunt a *General Electric Company*, quae usque ad quinquaginta *chilowatt* potentiam absorbere possunt, et plus quam mille milium emanant. Pondus staminorum incandescentium, ex tungsteno, pertingit ad quadraginta grammata; calor ad tria millia graduum in centum deductorum.

Per analysis pulveris collectae super vitrum in altis caeli stratis comprobatum est sporas germineras ascendere in aërem ultra tria millia metrorum. Descensus pulveris ipsius duos vel tres dies in sumere potest; hinc sequitur sporarum excursionem, a ventis translatarum, attingere posse plura chilometra.

Doctor A. Cornel examini subiecit pluviales regiones in planicie friulana et deduxit singula quaterna iugera (*hectaras vulgo dicimus*) accipere annuatim octo vel

decem chilogrammata nitrogenii, maxime in forma ammoniacali, et in forma nitrica et nitrosa decrescendo. Clorurum sodii tringinta chilogrammata attingit.

Huiusmodi inquisitiones inserviunt, ut patet, etiam ad diiudicandum utrum et quantum aquae sint potabiles, et pro paragenesi minerali pedosphaerae et lithosphaerae.

Recens stratus petroliferi detecti sunt apud San Pedro de Los Pinos in regione Mexicana Caolmil.

Ex inquisitione ducta in regione tessalica, N. Liatsikas cognovit ibi et tesca bruni coloris adesse; hinc infert, ut antea De Angelis d'Ossat de regione italica assenserat, rationes geomorphologicas inducere terras speciales in singulis regionibus posse, quum tamen orbes proprie dictas non constituant.

Circa explorationem depositi antracitis in valle augustana, La Stella iudicat partes iam detectas dare posse aliquot decies centena millia «mineralis» illius, et totum illum orbem usque ad aliquot centies centena millia.

Guilelmus Marconi recens donatus est numismate aureo a Kelvin Istitutione. Idem adscitus est inter Socios «Academiae Nationalis Scientiarum» in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis.

Die 13 sup. mensis Maii centenaria dies cecidit a morte Georgii Cuvier, qui conditor «anatomiae comparatae» haberi solet.

- Ab alio expectes alteri quod feceris.
- Bene cogitata saepe ceciderunt male.
- Deo favente, naves vel vimine.
- Discipulus est priori posterior dies.
- Humilis nec alte cadere, nec graviter potest.
- Intensus arcus nimium facile rumpitur.

P. SYRIUS.

## AD SANITATEM TUENDAM

**Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.<sup>1</sup>**

§ 481. — FERNELIUS ait, dolorem aliquando tertianarum febrium (quibus aliquando succedit) modo repeti et exacerbari. HIPPOCRATES aliquid simile in coacis videtur observasse. Ait enim: «Dolores ex lumbis diuturniores, qui febre exacerbantur τριταιοεγένεας (in modum tertiana febris vel similiter tertiana febri) grumosum sanguinem egerere faciunt. In eiusmodi aegris BALLONIUS observavit dolorum crudelissimum esse, et tumores quosdam nonnullis apparete. FERNELIUS in talibus balnea usurpabat, viribus nondum lapsis; ac in balneo ipso medicamentum purgans propinabat: quod quum agere incipiebat educi iubebat aegrum e balneo.

§ 482. — Videtur esse colica spasmodica, spasio excitata, vel ab haemorrhoidis internis, vel a plethora abdominalium viscerum absque varicibus, vel ab acribus contentis, praesupposita nisura fibrarum in abdomine irritabilitate. Huc pertinet colica, P. IGN. CAPUCIERI (V. eius historiam morbi). Ita STOLL.

§ 483. — HIPPOCRATES (*De Morb.*, I. III) ait: Omnis hydrops difficilis curatur, praesertim si corpore attenuato veniat, et ubi alvus fluit, moritur cito. Item (L. Λεπί πάθων) ait morbum omnem alteri suadentem fere funestum esse.

§ 484. — Quaeritur: An sit inflammatio pulmonis, sive ea sit phlegmonodis, sive erysipelados? — An in peripneumonia sint vomitiones, defectus animi, tussis sicca, alvi flores, ac si per se primoque alvus inferior laboraret, fugax generum rubor,

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Maii.

tussis inextinguibilis, febris non ita magna, sed per intervalla ferocius? Vedit BALLONIUS in alio quopiam, cui pulmo inflamatus erat, detectiones animi et frequentes vomitiones. Vomitiones frequentes, detectiones frequentes, ingens admodum sitis et opinione maior in inflammatione pulmonis solet apparere. Dolor sterni, vomitiones, tussis sicca, deliquium animi sunt signa pulmonis erysipelade tentati. BALLONIUS ait, in erysipelosa affectione, e. g., pulmonis, febrim non eodem perpetuo tenore affligere ac saevire. Debuerat mitti sanguis. In cadavere pulmo partim inflamatus, partim lividus. — Destillatio, tussis sicca, febris non ita ad manum mordax, rubor generum, dolor sterni (quod notandum), virium deiectio, sitis ingens, perceptio summa caloris in pectore, certam dant inflammati pulmonis diagnosin? Incautis medicis qui cibum appeteret et biberet avidissime, mortuus est die 20 morbi. — Saepius vidi in veris peripneumoniis pulmonum atroces convulsiones, vomitus, strepitum sibilumque *in pectore*. In somno convulsivum quid, oculos inter dormiendum semiapertos; in somno loquentes. Secta vena, habui sanguinem phlogisticum. — Signum peripneumoniae HIPPOCRATES, in coacis, dixit εὐχρόαν, id est generum ruborem.

(*Ad proximum numerum*).

I. FAM.

## ROMA SACRA

**Ssimi D. N. Pii PP. XI litterae encyclica de praesentibus humani generis aerumnis.<sup>1</sup>**

In tantam impietatem, tantam sanctissimorum institutorum conculationem, tantam immortalium animarum cladem, tantum denique divinae Maiestatis contemplum ne-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

cesse est ut indefesse opponamus «murum pro domo Israel»<sup>1</sup> vires omnes nostras nos quoque «in unum solidumque agmen contra iniquas phalanges coniungendo, non minus Deo quam humano generi infensas. In hac enim pugna de maximo, quod humanae libertati ineundum proponi possit, disceptatur consilio: aut pro Deo aut contra Deum; en rursus deliberatio, in qua universi orbis sortes continentur; in quavis enim re, in re politica et oeconomica, in moribus, disciplinis, artibus, in Civitate ac domestica civilius consortio, in Oriente et Occidente, ubique haec deliberatio occurrit, cuius consecratio sumnum prorsus momentum habent. Atque ita fit, ut vel ipsi sectae illius magistri, quae mundi naturam sola materia constare efficiens, Deum non esse iam pro certo se ostendisse iactabat, de Deo disceptationes, quem iam se de medio abstulisse putaverint, iterum iterumque instituere adiungantur».

Itaque Pontifex omnes, tam privatos homines, quam civitates, in Domino obtestatur, ut, quum tam gravia agitentur consilia, tam grandia pro humani generis incolumitate ineantur discrimina, «sordidum illud ponant proprii tantum commodi inordinatique sui amoris studium, quod acerrimas quasque obtundens mentes, incepta quaelibet etiam nobilissima obruncat, quae extra arcta propriae utilitatis septa vel minimum exsilire videantur; coniungantur omnes, gravia quoque, si opus fuerit, damna subeuntes, ut se atque hominum societatem sospitent universam. Qua in animorum viriumque coniunctione primas profecto sibi vindicare debent, qui christiano gloriantur nomine, illustria aevi apostolici exempla recolentes, quum «multitudinis creditum erat cor unum et anima una»;<sup>2</sup> sed etiam omnes, quotquot Deum agnoscunt sincereque atque ex animo reverentur, in idem suam conferant operam, ut ingens, quod cunctis imminet, periculum ab

<sup>1</sup> EZECH., XIII, 5.

<sup>2</sup> ACT., IV, 32.

humano genere propulsetur. Dei enim agnitione, tamquam fimo cuiusvis civilis ordinis fundamento, quum humana quaelibet auctoritas innitur necesse sit, qui omnium rerum legumque omnium perturbationem ac resolutionem nolunt, ii strenue contendant oportet, ne religionis hostes sua consilia, tam vehementer palamque conclamata, exsequantur.

« Neque illud Nos latet, — addit — in hac pro aris pugna etiam humana quaevi legitima arma esse adhibenda, quae nobis praestosint. Idcirco Nos, clariss. m. decessoris Nostri Leonis XIII vestigiis inhaerentes, Encyclicis Litteris Quadragesimo anno pro magis aequa bonorum terrestrium partitione tam strenue propugnavimus, ea omnia indicantes, quibus efficacissime hominum societatis universae sanitas vigorque, eiusque membris laborantibus quies et pax reddi possint. Quum enim vehementissimum honestae cuiusdam felicitatis etiam in terris adipiscendae studium ab ipso universarum rerum Conditore in mortalium animis satum sit, nunquam christiana lex legitimos nisus ad veram scientiam ulterius promovendam et ad altiora usque hominem recto calle provehendum non benevolenter agnovit, non fovit actuosissime ».

Atvero sola humana praesidia et hominum providentiae ad rem non sufficiunt; memores nostrae angustis limitibus definitae naturae, nosque a summo rerum Auctore omnino pendere probe consciit, ad preicationem in primis configiamus. Cuius quum vim et effectus Pontifex eloquenter descriperit, ostendit praeterea precandi studium ipsam aerumnarum, quas commemoravit, causam, inexplibilem scilicet temporalium bonorum cupiditatem, auferre:

« Nam qui orat, in excelsum suspicit, ad caelestia nempe bona, quae meditatur atque exoptat; se totum abdit in mirum contemplandum ordinem a Deo statutum, in quo nulla adest vanae gloriae libido, nulla maioris usque celeritatis vana contentio; atque ita aequalis illa operis quietisque compensatio quasi sponte restituetur, quae ab ho-

dierna societate, magno cum totius vitae et physicae et oeconomiae et moralis detimento, penitus abest. Etenim si qui ob nimiam rerum confectarum copiam in otium egestatemque sunt adacti, debitum ii preicationi tempus dare vellent, brevi et opus et rerum prolatio intra rationabiles fines constringerentur, eaque contentio quae humanum genus nunc in binas ingentesque pro fluxis rebus pugnantium acies dividit, in nobilem pacificamque transiret concertationem ad caelestia aeternaque bona consequenda.

« Hac itidem ratione tantopere expetitae paci sterneretur via, ut pulchre insinuat Beatus Paulus, ubi precandi praeceptum cum sanctis et pacis et omnium hominum salutis desideriis coniungit ».

Ah! pro omnibus — hic clamat Pater amantis — « postuletur pax, sed iis potissimum in quos gravissimum recidit munus regendi homines; nam quo pacto suis gentibus pacem dare possint, quam in se ipsi non habent? Precatio autem ipsa est, quae, docente Apostolo, pacis donum afferre debet.

« Qui in quavis re publica eundem Deum rogant ut pax habeatur in terris, non ii sunt homines qui inter gentes discordiae faces iniiciant; qui Divinam Maiestatem precando honorant, non ii sunt qui dominandi cupiditatem in suam gentem inferant illumque inordinatum foveant patriae amore, quo singuli populi suam cuiusque rem publicam sibi Deum faciunt; qui denique “Deum pacis et dilectionis”<sup>1</sup> continenter respiciunt eumque supplices adeunt per Christum, qui est “Pax nostra”,<sup>2</sup> ii profecto non acquiescent donec pax illa, quam mundus dare non potest, ab omnium bonorum Datore “hominiibus bonae voluntatis”<sup>3</sup> tandem adveniat.

« Paschalium illa gaudiorum nuncia, salutatio “Pax vobis”,<sup>4</sup> qua Christus Domi-

<sup>1</sup> II Cor., XIII, 11.

<sup>2</sup> Ephes., II, 14.

<sup>3</sup> Luc., II, 14.

<sup>4</sup> Ioan., XX 19, 26.

nus Apostolos suorumque discipulorum prioritias compellavit, quaeque exinde identidem in sacra Ecclesiae Liturgia resonare consuevit, eadem hodie, si unquam alias, hominum animos angustiis oppressos attollere sursum solarique debet ».

Sic explicit altera encyclicarum litterarum pars. Tertia est de poenitentiae studio et christiana poenitentiae usu; quae cum precatione coniugantur oportet, iuxta divini Praeceptoris et acceptam a maioribus doctrinam, et historiam Ecclesiae universae. Haec suapte natura ordinem morum agnoscit restituitque, qui lege aeterna, id est Deo ipso, innititur. « Qui Deo piamina offert pro peccato, is sanctas esse profitetur supremas morum leges, earumque obligandi vim atque in violatores animadvertisi ius agnoscit ». Nunc, ex adverso, « quum atheismus etiam populares inficit coetus, atrocia illius erroris consecratio quotidiano usu tanguntur et obviam occurunt passim. Pro morum lege, quae, sublata in Deum fide, decidat pariter necesse est, vis bruta imponitur omnium iura conculcans. Antiquam agendi fidem atque honestatem mutuique commercii probitatem, vel ethnicorum rhetorum ac poetarum laudibus tantopere commendatam, excipiunt nunc sordida lucri studia, quibus incensi complures sua aliorumque negotia impudenter passim perfideque agunt. Et sane, qui possunt humana consistere commercia, qui vim nancisci paciones, ubi nullum sit conscientiae vadimonium? Quodnam autem conscientiae, sit vadimonium, ubi nulla sit in Deum fides, nullus Dei timor? Hoc enim sublato fundamento, omnis morum decidit lex, nihilque impedire poterit quominus gradatim, at necessario, praecepites ruant gentes, familiae, res publica, ipseque humanae vitae cultus. Poenitentia itaque salutare armorum est genus, quibus utuntur strenui Christi milites pro universo morum ordine propugnando restituendoque dimicare cupientes: armorum est genus, quod ad omnium malorum radicem resecandam descendit, cupiditatem dicimus corruptibilium

divitiarum in honestarumque vitae voluptatum ».

Quin immo « nonne in hoc poenitentiae studio, pacis quoque mysterium abditur? “Non est pax impiis”<sup>1</sup> inquit Spiritus Sanctus, qui ordinis a natura atque adeo ab eius Conditore statuto semper contradicunt et repugnant. Tunc solummodo, quando hic ordo restitutus erit, quando omnes gentes illum ultra fideliterque agnoverint et servaverint, quando intimae populorum rationes et mutuae cum aliis nationibus necessitudines hoc nitantur fundamento, tunc solummodo firma in terris pax haberi poterit. At optatam hanc firmae pacis auram nec pacis foedera nec sollemiores pactiones, nec communes populorum conventus aut consultationes, nec Civitatum rectorum nobiles sincerique conatus adducere poterunt, nisi prius sacra naturalis divinaeque legis iura sint agnita. Nullus oeconomiae publicae moderator, nulla virium ordinandarum et componendarum peritia societatis rationes pacifice extricare poterit, nisi prius in ipso oeconomiae ambitu lex moralis, Deo conscientiae innixa, triumphet. Hic nervus praecipuus totius roboris tam politicae quam oeconomiae populorum vitae; hoc pretium omnium certissimum, quo firmo, reliqua omnia nutare non possunt, quippe quae immutabili aeternaque Dei lege, validissima scilicet auctoritate, solidentur.


« At poenitentia et singulis hominibus firmam affert pacem, eos a terrenis fluxisque bonis abducens, ad aeterna sustollens, eosque vel in mediis angustiis aerumnisque constitutos, illa donans pace, quam mundus quibusvis divitiis voluptatibusque suis dare non potest. Nonne unus ex iucundioribus laetioribusque concentibus, qui in hac lacrimarum valle unquam sint exauditi, notissimum illud est Sancti Francisci « Canticum solis seu creaturarum »? Atqui eius auctor, scriptor, cantor austerrissimus Christi asseclis est profecto an-

<sup>1</sup> Is., XLVIII, 22.

numerandus; illum dicimus Assiensem Pauperulum, qui nihil prorsus possidebat in terra, quique in corpore suo, macie consumpto, cruenta Domini Crucifixi Stigmata pertulit.

« Precatio igitur et poenitentia duo sunt validi spiritus, nobis hac aetate a Deo dati, ut miseram humanitatem, huc illuc sine duce errantem, ad ipsum reducamus; qui causam primam praecipuamque omnis perturbationis defectionisque — rebellionem scilicet hominis in Deum — dissident atque expient. Sed ipsae gentes ad summam tandem deliberationem vocantur; ut nimis, aut his benevolis beneficisque spiritibus se credant et humiles dolentesque ad Dominum suum misericordiarumque Patrem revertantur; aut in manus hostis Deum adversantis, id est vindictae spiritualisque ruinae, se totos illudque modicum quod adhuc in terris maneat beatitatis residuum coniiciant ».

Pontifex has encyclicas litteras concludit sollemnia piacularia indicens festo die proxime recurrente Ssno Cordi Iesu dicato.



## ANNALES

### VII Id. Iul. MCMXXXII.

Hodierna haec, in qua scribimus, dies inter recentioris humanitatis festos iure merito est recensenda: foedus enim quod a praecipuis universi orbis nationibus Lau sanae hodie sanctum est, corona tandem redemit opus operosum omnisque difficultatum generis plenum, tandiu agitatum, ad humanam societatem, bello, quo immanius historia nunquam vidi, undique perturbatam et conversam, finissimo praesidio restituendam. Scilicet post annos quattuor supra decem, pecuniaris luctuosis rationibus Germanorum populo impositis status nunc demum sufficitur cum eius viribus congruens, finisque innumeris damnorum

POPLICOLA.

### SOCIIS MONITUM.

**Ut iamdiu assuevimus, fasciculi mensis Augusti et Septembbris in unum colligentur, qui primis Septembbris mensis diebus prodibit.**

## VARIA

### Ceilanum insula<sup>1</sup>

Ceilanum insula ovali maxime figura ducentarum circiter et quadriginta leucarum ambitu, leucas in longitudinem septuaginta octo patet; in latitudinem quatuor et quadriginta, atque a Cori promontorio, avulsa freto vadoso, Piscariae, quam appellant, orae praetenditur. Ea, caeli clementia, soli ubertate et copia fluminum aquarumque perennium, ut primorum parentum sedes olim perhibebatur fuisse. Varia pecorum armenta, nec non elephantes gignit egregie bellicosos ac dociles; ceteris metallis caret: ferrum incolae effidunt. Plurimas fert gemmas, verum praecipua claritate sapphyros, chrysolitos, pseudopatos ac pyropos: itemque aromata pretiosa, cinnama, cardamonum, piper ac palmas eximie bonitatis. Ad haec, vel in primis, iucundo spectaculo silvosi montes ad effigiem theatram inflexi; vastam planitiem oblongo circuitu in caveae formam includunt: quorum unus in arduam et subiectam altitudinem pene septem leucarum exsurgit; habetque in summo aequatam agri planitiem, ex cuius medio bicurbitale saxum eminens ad istar mensae vestigium demonstrat impressum incliti sanctitate viri, quem ex Indiae regno Deli quondam in ea loca venisse tradunt, ut gentem superstitionibus deditam fabulosis, ad unius Dei cultum religionemque traduceret. Ergo tantae venerationis est locus ut a leucis amplius mille, omnium ordinum peregrini, ac praesertim *Logues*, illuc pietatis causa contendant ingenti labore; siquidem, praeter ceteras itineris difficultates ac pericula in eius etiam montis cacumen, nonnisi per adactos clavos ferreasque catenas ascensus est.

<sup>1</sup> Ex *Historiis MAFFEI*.

### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Ius ex carne ad cribrum acta.  
Pullus elixus ossibus nudatus et rarie fartus.  
Pulmentarium ex cucurbitulis.  
Vitulus veru assus cum acetariis.  
Mala persica congelata.*

### locosa.

Tuccius geographiae studet. Exemplo clamat:

- Quam ponderosi esse debent Andalusiæ incolae!
- Ecquid? — Magister rogat.
- Quia — si libro credere debemus — possident venas plumbeas!

Tuccius: Quam mira sunt huius saeculi inventa! En, telegraphma, quod tot millium chilometrorum iter conficit, ad nos pervenit gummi adhuc humida!

### Aenigmata.

I.

*Prima laus vitae exoptanda mihi que:  
Coniux per fraudem data, non quae sita secunda;  
Si cecinere verum, totum fuit unda poëtis.*

II.

*Dum fortuna manet, primi vocitantur amici;  
Si perit, heu! nullum reperis miser alter amicus.*

*Tertius et citus melior est, quam binafutura.  
His constans est incostans, plus mobilis unda  
Vertitur hac illac vento, malefica, proterva.*

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Palea*; 2) *Gallina*.



## DE ROBERTI SCOTTI NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

C MAR 40

Et tum quidem pristino socio sincero animo meritam impertitus est laudem. Sed paucis mensibus post pronuntiat se ipsum novum in illam antarcticam glaciem moliri iter, se emetiri velle illa pauca chilometra, quibus adhuc distaret humanum genus a gradu nonagesimo, nationi Anglorum se velle acquirere gloriam. Itaque pridie Idus Sept. anno 1909 Londini in publico coetu, primo urbis praetore auspice, magno cum plausu omnium qui aderant, quid esset suscepturus exposuit. Ad comparanda, quae opus essent — librarum quadraginta millia Scotto videbantur necessaria — tabulae sunt propositae, in quibus illico quidam privatus homo mille scripsit libras. Postea rerum publicarum curatores tribuere videnti millia, rectores societatis regiae<sup>1</sup> et societatis geographicae et aliorum institutorum et rei publicae Australicae, privati etiam homines tribuere summas, ut brevi tempore satis magna pecunia, expeditionis fundamentum, esset deposita. Itaque Scottus emit *Terram Novam*, unam ex subsidiariis navibus, quibus anno 1904 Discovery navis liberata est, et satis magnum numerum ad se perduxit lectissimorum sociorum.

Tum animo et cogitatione complexus omnes illas quaestiones scientiae naturalis, anno 1910 in annalibus geographicis totam itineris faciendi rationem expressit. Iure initum a se consilium ad ipsum polum accedendi hominum omnium ordinum excitasse studia. Nam si magna esset laus ad aliquem accessisse huius terrae locum, in

quo nemo ante pedem unquam posuisset, maiorem certe mereri laudem et admirationem, qui iter intenderet ad ipsum polum, quo in itinere non tam virorum exicerentur corpora, quam honori consulteretur nationis Anglorum, qui semper ceteris populis perquirendarum polarium terrae partium extitissent principes, simulque avide captaretur occasio oblata ad cognoscendam naturam rationemque physicam antarcticae continentis.

Deinde Scottus persequitur singula, et ita fere, ut postea transacta sunt: Terram Novam unius fere mensis spatio prius, quam solerent naves in antarctidem profici, exeunte mense Novembri, Neoselandia soluturam petituramque fretum Murdonium<sup>2</sup> radicesque montis Erebi. Illic non longe ab eo loco, ubi in priore itinere ipse hiemasset, postea Shackleton, futuram casam esse sedemque expeditionis. Inde statim in via poli, certis intervallis, penum et quae opus esse viderentur collocatum iri per eos socios, qui scripti essent turmae principis. Alteram turmam navigaturam esse in Eduardiam<sup>3</sup> ut, si viris contigisset in terram egredi, pervestigarent illa loca crassis adhuc et circumfusa tenebris; si aggredi non potuissent, aliud quidpiam operis sortituros esse.

<sup>1</sup> McMUrdo scilicet nomen ei treto dedit.

<sup>2</sup> « Eduardiam » feci Terram Eduardi VII, regis Anglorum, magnam illam terram ex Rossi mari glaciatu ad orientem vergentem.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.